Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster





baptizatus est a Joanne. Quod enim ait Lucas III, 23: Jesus erat incipiens quasi annorum triginta: sensum habet: Jesus erat circiter annorum triginta; dum incipiebat, scilicet ~~publicare~~ docere: quod nemini licebat ante annum 30 expletum. Vid. Baronius Appar. § 107 et seq. Cornelius in Luc. III, 23. Porro de anno mortis Domini testimonia Patrum cum Chronologia quis combinabit? Id certum, Christum crucifixum esse feria sexta post ~~lunam XIV~~ comestionem agni Paschalis. Atqui si hunc annum statuas ~~XXIX~~ 29 era vulgaris; luna XIV Paschalis incidit in XV Aprilis et etiam sextam: si annum era 30 XXX; luna XIV fuit IV Aprilis feria tertia: si annum era 31 XXXI; luna XIV fuit XXIV Martii die Sabbati: si annum era 32 XXXII; Luna XIV fuit XIV Aprilis die Sabbati: si annum 33 XXXIII; luna XIV fuit I Aprilis feria quarta: si annum 34 XXXIV; Luna XIV fuit XXI Martii ~~feria~~ die dominica: denique anno era vulgaris 35 XXXV Luna XIV fuit IX Aprilis die Sabbati. Quid quid ex his eligas, nunquam Christus incidit in feriam sextam post comestionem agni Paschalis immediate sequentem; nisi cum Epiphanio har. 52 dicas, plerosque Judaeorum, et cum his Christum, anno illo Pascha biduo prevertisse. Tunc enim anno era vulgaris 31 XXXI, 32 XXXII, et 35 ~~XXXV~~ comestio agni incidet in vesperum feriae quintae, et lunam XII. Ex his tribus annis eligimus ultimum: ut qui cum era vulgari, et fuera dictis Add. 29 melius concordat.

61) Matth. IV, 1.

62) Joan. I, 15–28. Bethania hic non est confundenda cum illa Jerosolymis vicina; in qua domicilium habuere Lazarus et Martha; sed existit trans Jordanem, et alio nomine vocatur Bethabara.

63) Joan. I, 29–37.

64) Joan. I, 38 et seqq. Joan. II, 1–11.

65. Joan. III, 22–36.

66) Herodem enisse ad Joannem colligitur ex Marc. VI, 18. ubi ~~illum~~ Joannes Herodem admonuisse dicitur; et ideo in carcerem esse conjectum.

67) Luc. III, 19.

68) Marc. VI, 18–20.

69) Matth. XI, 2, 3. Chrysostomus hom. in c. XI Matth. l. Apertissime patet, non ambigentem, nec ulla ignorantia ductum misisse qui quaerent. --- Alienioresque erant a Christo discipuli ejus, et invidia cujusdam stimulis semper agitabantur, magistrum sum pluris esse cupientes. -- Joannes, timens, ne perniciosa materiam opinionis relinqueret, si majorem se Christo putantes, discipuli nullo pacto illi conjungerentur, hoc modo Christo ipsos offerre curavit. etc.

70) Mal. scilicet Malach. III, 1.

71) Matth. XI, 4–11. Hanc ultimam sententiam Lucas VII, 28 ita effert: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. qui autem minor est in regno Dei, major est illo. Sensus igitur est: Joannes omnium veteris testamenti sanctorum, etiam Prophetarum (qui ab hominum sanctissimi existimabantur) maximus est, minor tamen illo me auctore regni Dei; id est,